

seferatur, nego. Sumpta in concreto, & prout idem est quod persona, concedo. Sicut enim persona Patris, quamvis per relationem constituta in ratione persona, est principium quod generationis, & referatur ut quod per paternitatem subconceptu referentis; Ita Pater & Filius relationibus constituti, sunt principium quod processionis Spiritus sancti, & referantur ut quod relatione Spiritoris. Hac tamen relatio non fundatur in paternitate & filiatione, sed in spiratione activa utriusque communi. Ex quo tantum sequitur, relationem divinam concretive sumptam (qua ratione idem est quod persona) esse capacem ut referatur ut quod, relatione, non in ipsa, sed in spiratione activa fundata, quod libenter fateremur; non autem quod possit esse fundamentum ulterioris relationis, per quam ipsa, in abstracto sumpta, referatur ut quod.

Quaerunt hicaliqui, an personae divinae sint & dici debeant aequales, non solum in magnitudine & perfectione, sed etiam in aeternitate & duratione? Ratio dubitandi est, quia inter illas reperitur prioritas & posterioritas originis, quae ipsarum coaeternitati videtur obstrare.

De fide tamen certum est, personas divinas esse in duratione aequales. Hoc patet primo ex Symbolo Athanasii, ubi dicitur esse unus aeternus: At aeternitatis unitas non patitur inaequalitatem durationis: Ergo tres personae divinae sunt in duratione aequales.

Secundo patet, quia duratio immutabilitatem consequitur, immutabilitas vero actualitatem: Sed tres personae divinae sunt ejusdem actualitatis, cum sint ejusdem essentiae & existentiae: Ergo sunt ejusdem immutabilitatis & consequenter ejusdem durationis.

Tertio, ut egregie discarrit D. Thom. hic art. 2. quod terminus productus non coexistit suo principio, vel provenit ex imperfectione principii, quia nampe non statim ab initio est perfectum omni perfectione; ut constat in puero, qui ob debilitatem virtutis generare non potest: vel quia agens liberum est, & pro sua libertate non statim producit effectum vel denique quia actio, per quam terminus producit, est successiva: Sed nihil horum reperitur in processione divinarum personarum: nam Pater v. g. non ex electione libera, sed naturaliter Filium producit; illius etiam natura ab aeterno fuit perfecta, actio quoque qua Filium producit, non est successiva: Ergo personae divinae coaeternae sunt, ac in duratione aequales. Unde, ut notat idem S. Doctor, supra q. 34. art. 2. ad 8. & super cap. 1. Joann. lect. 1. Filius, splendor Patris, in Scriptura appellatur, ut Patri coaeternus ostendatur, sicut splendor est coaevus luci. Idem docet Ambrosius lib. 4. de fide, his verbis, Lux splendorem generat, nec comprehendit potest, quod splendor luce posterior sit, aut lux splendore antiquior; quia ubi lux, & splendor est; nec splendor potest esse sine lumine, quia & in splendore lumen, & in lumine splendor est. Unde & Apostolus splendorem gloriae Filium dicit, quia splendor paternus lucis est Filius: ceterum, propter virtutis aeternitatem, inseparabilis, propter claritatis unitatem.

Ad rationem vero dubitandi respondent aliqui, negando in Divinis reperiri prioritatem originis: quibus favere videtur D. Thomas hic art. 3. ubi concedit inter divinas personas ordinem sine prioritate, verbis fere mutatis ex August. lib. 5. contra Maximinum cap. 14. Alii cum Scoto in 1. dist. 28. q. 3. talem prioritatem inter personas divinas admittunt. Cajetanus vero hic in commentario art. 3. censet esse differentiationem tantum de nomine; linguam cohibendam esse, nec concedendam prioritatem realem absolute, sed ad summum cum addito, nempe prioritatem realem originis. Quidquid tamen horum asseratur: persistit semper divinarum personarum coaeternitas, & in duratione perfecta aequalitas; huic enim non officit prioritatis realis originis, sed tantum prioritatis durationis, & prioritatis a quo realis causalitatis; quarum utramque fides relegat a personis divinis.

Agunt etiam hic aliqui de mutua ac reciproca utriusque personae divinae in alia existentia quae a Latinis Circum-insesse, & a Graecis περιπαρσις, appellatur; & quaerunt quot modis una persona dicatur esse in alia?

Huic quaestioni respondet D. Thomas hic art. 5. quamlibet personam divinam tribus modis esse in alia. Primo quidem ratione essentiae, quae omnibus personis communis est: Secundo ratione correlationis naturae, quae unum relationum dicitur esse in alio secundum intellectum. Tertio ratione originis, quae cum sit actio immanens, exigit ut id quod procedit, maneat in principio a quo procedit, & non separetur ab illo. Unde Zeno Veronensis Verbum Divinum nobilem cordis Patris iniquitatum appellat. Ex Tertulliano in Apolog. cap. 17. ait: A matrice non recessit, sed excessit. Item D. August. 7. de civit. primam Trinitatis personam, patrem & matrem simul appellat: ad significandum discrimen, quod inter Patrem Divinum & patres terrenos intercedit: hi enim filios extra se generant, ille vero in suo pectore, & divinitatis suae visceribus, Verbum productum retinet, quo metaphorice materna quadam proprietate declaratur. Ad quod al-

ludens Synesius, antiquissimus Doctor, hymno 3. de Patre aeterno canit: Tu pater & mater, radix & summus ramus, femina & mas: inest quod patris, inest quod patris.

Idem in Spiritus sancti processione observavit Mustus Biontinus, lib. de sacra historia, ubi haec scribit: Vivit Deus & spirat Spiritum, Vere, inquam, spirat, non emittit solum, sed attrahit & retinet. Si homo emitteret Spiritum, & attraheret, non viveret. Porro alium aerem attrahit, alium emittit: sic spirat, ut respicit. At vero Deus eundem spiritum a se emittit, & in seipso retinet: ideoque non tantum spirat, sed etiam respicit. Non emittit Spiritum suum, ut radix ramos, sed ut ignis calorem, lux lumen, ut mens sapientiam, amor amorem. Num separatur amor ab amante? Amor quidem excessus facit, quia impulsus est amantis: separationem tamen nullam inferit, quia nexus est individuae, carnea suavissima, qua invicem colliguntur amantes, ut jam non sint duo, sed unus, in nobis unitate affectus, in Deo unitate etiam substantiae, ab summam divinae naturae simplicitatem.

Denique de hac ineffabili personarum divinarum circum-insensione, in quadam hymno canit Ecclesia.

In Patre totus Filius Et totus in verbo Pater.

Et ipsemet Christus Joann. 14. perfectam illius intelligentiam usque ad clarum Dei visionem differendam esse docet, dicens: In illa die (aeternitatis scilicet & beatitudinis) cognoscetis, quia ego in Patre, & Pater in me est.

Ceterum licet in hac mortali vita, mirabilem hanc unitus personae in alia existentiam non valeamus perfecte cognoscere; possumus tamen illam participare, & aliquam ejus imaginem in nobis exprimere. Nam ut dicitur 1. Joann. 4. Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. Quae verba Mellissus Doct. expendens, sic ait: Deus caritas est, quid perfectius? & qui manet in caritate, in Deo manet, quid securus? & Deus in eo quid jucundus?

Tractant etiam hic aliqui de applicatione seu appropriatione divinis personis, de qua D. Thomas supra quest. 39. art. 8. ubi quaerit: Utrum convenienter a sacris Doctoribus sint essentialia personis attributa? Et respondet affirmative: Cum enim (inquit) Deum non cognoscimus nisi per creaturas, sicut quadrupliciter has cognoscimus, primo ut in se absolute, secundo ut sunt quid unum, tertio ut habent virtutem ad agendum, quarto ut dicuntur habitudinem ad effectus: ita quadrupliciter cognosci potest Trinitas, & totidem modis attribuantur illi essentialia.

In primis enim si considerentur personae in se absolute, valet appropriatio Hilarii: dicentis, Aeternitas in principio, species in imagine, usus in manere: aeternitas enim recte appropriatur Patri, quia sicut aeternitas non habet initium, ita nec Pater originem; pulcritudo Filio, quia illa tribus constat, nempe integritate, nam nulla sunt deformia; proportione ad exemplar, unde tabella apte exprimit monstrum, pulchra dicitur; & colore vivido, ac luce, quae pulchritudinem animat. Haec vero tria competunt Filio, ex vi suae originis, quia habet totam Patris naturam, est illi simillimus; & candor lucis aeternae. Item usus recte attribuitur Spiritui sancto, cum sit donum quo fruimur.

Juxta secundam considerationem valet attributio August. qui Patri appropriat unitatem, quia nihil supponit, cum sit persona improducta: aequalitatem Filio, quia aequalitas duo supponit, & importat unitatem, cum respectu ad alterum; & concordiam Spiritui sancto, quia est nexus Patris & Filii, ut fufe supra disput. 10. art. 2. declaravimus.

Juxta tertiam considerationem valet attributio communis, sive attendamus quae propria sunt cuilibet personae, sive dissimilitudinem illarum a creaturis: sic ex utroque capite Patri competit potentia, tum quia est principium omnium processionum, tum etiam quia est dissimilis patribus creatis, veritate debilibus: Filio sapientia, tum ratione originis, cum sit Verbum & terminus cognitionis infinite Patris, tum dissimilitudinis a filiis creatis, ut plurimum juvenute insipientibus: Bonitas Spiritui sancto, tum origine, quia est amor bonitatis in creatis, tum dissimilitudine ab amore creato, sepe malo, & inordinato.

Tandem secundum ultimam considerationem valet attributio Pauli dicentis omnia ex ipso, per ipsum, & in ipso esse. Omnia enim sunt ex Patre, tanquam ex efficiente per potentiam, per Filium tanquam per exemplar & principium de principio creaturarum, & in Spiritu sancto, qui omnia continet; non quidem ratione idearum (nam verbo proprium est, sic continere omnia) sed ratione bonitatis Dei, quae res conservantur, & ad illum ut finem ultimum ordinantur.

DISPUTATIO XIII.

De Missione Divinarum Personarum.

Ad quaestionem 40. Divi Thomae.

Haec disputatio se habet per modum coronidis ad totum istum tractatum: ultima enim consideratio comparativa personarum divinarum est in ordine ad creaturas, secundum quod dicuntur ad illas mitti, vel ad eas venire: unde de missione divinarum personarum ultimo loco cum Sancto Doctore hic agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit missio, & quibus personis conveniat?

§. I.

Praemittuntur quae apud omnes sunt certa & referantur sententiae?

Missio in communi significat processionem seu egressionem ab aliquo, cum destinatione ad aliquem effectum, vel ad aliquem locum de novo: unde ad illam quatuor concurrunt, scilicet persona mittens, persona missa, terminus ad quem, & egressio seu processio ejus qui mittitur. Potest autem, ut docet D. Thom. hic art. 1. tripliciter fieri: vel per imperium, sicut dominus mittit servum in villam: vel per consilium, sicut medicus dicitur mittere Regem ad balneum: vel per originem, sicut flos emittitur ab arbore, radius a Sole, & rivus a fonte. Ex quo patet missionem reperiri in Divinis, scilicet tamen imperfectionibus, quae in creaturarum missione contingunt: vere enim una persona ab alia egreditur (non per imperium, aut consilium, sed per originem) litque speciali modo praefens creatura, non per loci mutationem, sed per novi effectus productionem. Unde D. Thomas in 1. ad Anabald. dist. 15. q. unica art. 1. egregie observat, quod in missione creaturae quatuor reperitur; unum ex parte mittentis, scilicet auctoritas; alterum ex parte missi scilicet separatio ejus a mittente; tertium ex parte termini a quo, scilicet loci mutatio; quartum ex parte termini ad quem, scilicet effectus aliquis, ad quem producendum persona missa destinatur. Et subdit, primum & ultimum, quia perfectionis sunt, convenire personis divinis; licet enim in Divinis non detur auctoritas per modum imperii, bene tamen per modum originis: secundum vero & tertium, quia imperfectionem dicunt, a missione divinarum personarum relegari. Et articulo praecedenti in responsione ad 3. docet, quod licet Angeli superiores non mittantur, quia non possunt mitti sine loci mutatione, quod illis non convenit, bene tamen personae divinae, nam illa non mutant locum cum ad nos mittuntur.

Haec sunt certa & indubitata apud Theologos. Sed difficultas ac disputatio est inter illos, pro quo supponat divina missio an pro ipsa productione effectus, quae temporalis est: an vero pro processione & origine personae divinae, quae ab aeterno illi competit? Quia enim missionem in solo temporali effectu collocat: alii in sola origine, per quam personae missae communicatur potentia, & voluntas producendi effectum temporalem, ratione cuius fiat novo modo praefens creatura.

§. II.

Vere sententiae statuuntur.

Dico tamen, nec solum processionem aeternam, nec solum effectum temporalem, esse missionem, sed illam pro utraque supponere, & utramque importare, in recto quidem ipsam personarum originem, in obliquo vero, novum effectum in creatura productum.

Probatum primo ex D. Thomae hic art. 2. ad 3. ubi ait: Missio includit processionem aeternam, & aliquid addit, scilicet temporalem effectum; subindeque illud inter missionem & generationem ponit discrimen, quod missio importat habitudinem ad principium, in ordine ad terminum temporalem, generatio autem in ordine ad terminum aeternum.

Favet etiam Augustinus lib. 2. de Trinit. c. 5. ubi ait: A Patre exire, & venire in hunc mundum, mitti est.

Probatum secundo: Missio divina essentialiter importat originem a persona mittente: Ergo non est solum operatio Dei externa & temporalis, sive novus modus efficiendi in creatura, sed origo aeterna personae missae, ut connotans operationem aeternam & temporalem. Consequenter patet, probatur Antecedens. Missio personae divinae essentialiter importat exitum a persona mittente: Sed hic exitus nequit esse alius, quam origo aeterna ab illa: Ergo essentialiter importat talem originem. Major est certa, missio si Theol. Gener. Tom. II.

quidem essentialiter dicit egressionem ex eo a quo fit: Minor vero probatur. Duplex tantum est egressio a mittente: una moralis, consistens vel in imperio, ratione cuius inferiores a superiori sive domino, & Angeli a Deo dicuntur mitti & egredi; vel in precibus, aut consilio, sive suasionem, ratione quorum in humanis homo dicitur mitti ab alio homine ad aliquod munus, sive officium exercendum: altera est physica, consistens in naturali egressu, ratione cuius radius v. g. dicitur emitti a Sole ad illuminandum: Sed egressio quam essentialiter importat divina persona missio, nequit esse moralis: utpote quae abstrahit non potest ab imperfectione, vel in persona missa, vel in persona mittente, ut constat: Ergo debet esse physica, consistens in origine naturali.

Probatum tertio: Si missio non supponeret pro origine seu exitu a mittente, prout connotat effectum in creatura productum, aut producendum, sed tantum pro ipsa productione effectus, non esset ratio, cur Pater non diceretur mitti: cum producat effectum temporalem quem connotat missio aliarum personarum, scilicet gratiam: opera enim ad extra indivisa sunt, & toti Trinitati communia, ut communiter docent Theologi, & D. Augustinus egregio exemplo declarat: Cybarum, inquit, respice; ut musicum melos sonis dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur, ars, manus & chorda, & tamen unus sonus auditur. Ars dicitur, manus tangit, chorda resonat, nec ars, nec manus sonum reddunt. Trium operatur, sed sola chorda resonat: cum chorda autem pariter ars & manus operantur. Sic non Pater, nec Spiritus sanctus susceperunt carnem, & tamen cum Filio pariter operantur.

§. III.

Solvitur obiectio ex auctoritate D. Thomae desumpta.

Contra hanc conclusionem proponi potest argumentum 6 ex auctoritate D. Thomae desumptum. Nam S. Doctor in 1. dist. 15. q. 1. art. 2. reterens opinionem, quae dicebat missionem in Divinis consistere, non in aliquo relativo, sed in aliquo essentiali, subdit: Et hoc mihi verius videtur, considerata virtute vocabuli: missio enim, secundum rationem sui nominis, non dicitur exitum ab aliquo sicut a principio, a quo missio esse habeat; sed solum in ordine ad effectum missionis ponitur auctoritas alicujus ad missum. Et ibid. ad Anabaldum q. unica art. 2. Alii, inquit, dicunt, quod missio significat principium quod essentialia est, & hoc videtur verius: Atqui effectus de novo productus in creatura, est id quod in missione est essentialia, utpote a tota Trinitate, non vero origo, quae est quid personale: Ergo in doctrina D. Thomae, vel missio personae divinae consistit solum in novo effectu, seu in novo modo efficiendi in creatura ad quam terminatur, juxta primum locum; vel saltem, juxta secundum, principalis consistit in illo effectu, subindeque non de connotato solum ipsum importat.

Pro solutione hujus objectionis, notat missionem personae divinae duobus modis posse considerari, primo secundum denominationem praefens quam habet ex termino ad quem, secundo quod enititatem suam. Si primo modo consideretur, ut eam consideravit D. Thom. locis in objectione citatis, verum est quod non consistit, saltem principaliter, in aliquo notionali; quale est origo sive processio aeterna personae missae; sed in aliquo essentiali: quod est effectus de novo productus in creatura, utpote cum ab eo, tanquam a termino ad quem, non vero ab ipsa origine aeterna, desumatur missionis denominatio. Cum hoc tamen fiat, quod si loquamur de eadem missione, non quoad denominationem praefens, sed quoad enitatem denominatam; ipsa magis principaliter importet originem, & solum de connotato novum & specialem effectum ad quem terminatur in creatura.

§. IV.

Corollaris notatu digna.

Ex dicto colliges primo, missionem divinarum personarum sic posse definiri, aut describi: Missio est processio originis a mittente, cum novo modo efficiendi in alio.

Colliges secundo, non posse unam personam personam mittere licet possit seipsam dare, quia sicut nulla persona procedit a se, ita nec mittitur a se.

Colliges tertio, Patrem aeternum a nullo mitti, est ipsum seipsum det, aut veniat cum aliis personis, ad inhabitandum in anima per gratiam sanctificata. Pater etiam hoc corollarium: quia persona Patris a nullo procedit, cum sit innascibilis, & totius divinitatis fontale principium. Adde quod, sicut omne mobile reduci debet ad aliquod primum movens immobile, ne fiat processus in infinitum, sic & omne missum ad aliquod mittens non missibile, ut egregie observat D. Thom. primo ad Anabaldum ubi supra art. 3. Ergo cum in Divinis Filius mittat Spiritum sanctum & ipse a Patre mittatur, Pater a nullo mitti potest.



Unde August. libro contra sermonem Ariator. cap. 4. Solus Pater non legitur missus: quoniam solus non habet alterum a quo sit generatus vel a quo procedat.

11 Colliges quarto, Filium a Patre mitti, quia ab illo exit per aeternam generationem: Unde Christus Joann. 8. Ego ex Deo processi, & veni in mundum. Quae verba expendens Cyrillus ait: Filius mittitur a Patre, ut verbum a mente, splendor a Sole. Item Spiritus sanctus a Patre & Filio mittitur, quia ab utroque procedit, ut supra disp. 10. art. 1. §. 1. contra Graecos schismaticos ostensum est. An vero Filius a Spiritu sancto mittatur, difficultas est, propter celebre Isaia testimonium, in quo Divina Sapientia cap. 48. dicit: Miste me Dominus Deus, & Spiritus ejus. Quem locum licet plures referant ad humanam Christi naturam, secundum quam missus est a Spiritu sancto ad praedicandum, Augustinus tamen l. 2. de Trinit. cap. 5. illum intelligit de ipsa persona Verbi Divini, quam docet fuisse a Spiritu sancto missam, ut homo fieret, seu ut humanam carnem inderet. Verum haec intelligenda & explicanda sunt de missione Verbi inadquae sumpra, ratione scilicet effectus ab ea connotati: ille enim non solum a Patre, sed etiam a Spiritu sancto procedit; unde ratione illius Filius potest dici aliquo modo a Spiritu sancto missus, ut colligitur ex D. Thom. hic art. 8. ubi ait: Si verum mittens designatur ut principium personae quae mittitur, sic non qualibet persona mittit, sed solum illa cui convenit esse principium illius personae; & sic Filius mittitur a Patre, Spiritus autem sanctus a Patre & Filio; si vero persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio; sic tota Trinitas mittit personam missam.

12 Colliges ultimo, missionem Filii, & missionem Spiritus sancti, ex parte effectuum quos connotant, in hoc potissimum differre, quod missio Verbi, cuius processio per intellectum est, attenditur praecipue secundum illa dona quae ad intellectum pertinent, ut donum intellectus, scientia, sapientia, & consilii: missio vero Spiritus sancti, per amorem procedentis, ordinatur potissimum ad communicanda alia dona, quae ad voluntatem spectant, ut donum fortitudinis, pietatis, & timoris. Ita D. Thomas in primo ad Ambros. dist. 15. q. unica art. 5. Quaedam inquit, habent similitudinem cum proprio Filii, in quantum procedit ut Verbum, sicut illa quae pertinent ad cognitionem, ut donum sapientiae & scientiae, & in huiusmodi donis dicitur mitti Filius. Quaedam vero dona habent similitudinem cum proprio Spiritu sancto, qui procedit ut amor, sicut illa quae pertinent ad effectum, ut caritas, & in huiusmodi donis dicitur mitti Spiritus sanctus, quoniam omnia dona, ex hoc ipso quod dona sunt, ad Spiritum sanctum pertinent, qui est primum donum. Et hic art. 5. ad 3. sic ait: Haec missio communicat in radice gratiae, sed distinguitur in effectibus gratiae, qui sunt illuminatio intellectus, & inflammatio affectus.

ARTICULUS II.

An missio invisibilis fiat solum secundum dona gratiae sanctificantis?

13 Missio divinarum personarum, ex parte effectuum temporalium quos connotat, in visibilem & invisibilem dividi solet. Missio visibilis est illa, quae fit in aliquo effectu sensibilibus apparente, & representante personam missam: sive creatura illa visibilis in unitatem personae assumatur, ut in incarnatione factum est: sive in illa solum ut in signo sanctificationis, quam facit persona missa, manifestetur: ut quando Spiritus sanctus in specie ignis super Apolos in die Pentecostes apparuit: Missio autem invisibilis est illa quae fit in aliquo effectu spirituali, & invisibili, qualis est illa quae fit in justificatione peccatoris per donum gratiae invisibilis: de qua Job c. 9. dicitur: Si veneris ad me, non video eum; si abieris, non intelligam. In missione visibili mittitur una persona & manifestatur sine alia: in invisibili vero nunquam una sola persona mittitur, sed duae procedentes, & Pater, licet non mittatur, venit tamen & communicat se cum illis ipsi anima, secundum illud Christi Joann. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansorem apud eum faciemus. Denique missio visibilis fieri potest per quamlibet rem sensibilem, ordinis etiam naturalis, potest enim Deus assumere ad unionem hypostaticam quamlibet naturam creatam, & uti quolibet signo sensibili ad suam praesentiam in creatura rationali manifestandam: missio vero invisibilis non fit nisi ratione aliquos doni supernaturalis, in anima producti. Porro quia inter dona supernaturalia, quaedam cum gratia sanctificante connexa sunt, ut caritas, alia vero cum ea connexionem non habent, sicut fides informis, spes, gratia gratis datae, auxilia ad justificationem remote dispositiva: inquirent Theologi, an missio invisibilis fiat solum secundum dona primi generis?

14 Partem negativam tenent quidam, relati a Suarez l. 12. de Trinit. c. 3. quos sequutus est Arraga disp. 55.

sect. 4. dicto 6. ubi ait posse absolute dici missionem invisibilem, etiam si non fiat per dona gratiae sanctificantis, sed per alia dona supernaturalia; ut sunt inspirationes, auxilia, & habitus supernaturales a caritate distincti. Sententia tamen affirmativa communis est apud Theologos, camque expressit docet Angel. Doct. in 1. dist. 14. q. 2. art. 2. & hic art. 3. Unde fit

§. I.

Conclusio affirmativa suscipitur.

Dico igitur: Missionem invisibilem divinarum personarum, non dici nisi ratione gratiae & caritatis. Probatur primo ratione D. Thomae hic art. 3. Missio invisibilis divinarum personarum non fit nisi cum novo & invisibili modo existendi in anima rationali: Atqui nec per solum fidem, nec per spem, nec per gratias gratis datas, sed per solum caritatem & gratiam justificantem, Deus speciali & novo modo in anima rationali existit: Ergo missio invisibilis divinarum personarum, non fit nisi ratione gratiae & caritatis. Major patet ex definitione missionis supra exposita. Minor vero probatur: Nam ut ibidem docet D. Thom. modus ille specialis quo Deus existit in anima, consistit in eo quod illi praesens est, ut cognatum in cognoscere, & amatum in amare; cognitio scilicet & amore procedentibus ex perfectissima amicitia, ut artic. sequenti declarabimus. Sed Deus non est praesens hoc modo anima rationali, nisi per gratiam & caritatem, per quam solum fit perfecta hominis cum Deo amicitia, ut docet idem Angelicus Praeceptor 2. a. 2. quest. 23. art. 1. Ergo &c.

Confirmatur primo: Cum fide, spe, ceterisque donis 16 gratuitis, stare potest peccator reatus: Sed specialis illa Dei praesentia cum peccato incompatibilis est, ut enim dicitur Proverb. 15. Longe est Dominus ab impiis: Ergo specialis Dei praesentia non habetur per fidem, aut spem, vel alia dona gratuita, sed solum per gratiam & caritatem.

Confirmatur secundo: Spiritus sanctus ad creaturam rationalem mittitur, ut in ea fiat in templo suo inhabitet; juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 6. Nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus sanctus habitat in vobis: At nemo Dei templum efficitur, nisi per gratiam & caritatem: Ergo secundum hoc tantum donum missio invisibilis Spiritus sancti attenditur. Unde Augustinus l. 3. de Trinit. c. 4. Spiritus sanctus procedit temporaliter ad sanctificandam creaturam. Ex quibus verbis Angelicus Doct. hic art. 3. in argumento suo contra, sic concludit: Cum sanctificatio creaturae non fit nisi per gratiam & caritatem, sequitur quod missio divina persona non fit nisi per gratiam & caritatem.

Confirmatur tertio: Per invisibilem divinarum personarum missionem, Deus est in homine, & homo in Deo, unde, ut supra annotavimus, per illam fit in nobis imago quaedam mirabilis illius circuminsistentis, per quam una persona divina residet in alia; propter quod Cant. 4. divinae illae emissiones Parvulus appellatur: Sed Deus non est in homine, nec homo in Deo, nisi per caritatem, ut patet ex illo 1. Joann. 4. Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo: Ergo idem quod prius.

Addo quod in missione invisibili nobis dantur personae 19 divinae, ut anima illas in se habeat, illisque usufruat, ut docet D. Thomas hic art. 3. Sed habere potestatem fructus personae divinae, provenit solum a gratia & caritate, ait idem S. Doct. ibid. & patet ex eo quod fructus pertinet ad amorem, quem aliquis habet de ultimo expectato, quod est finis, ut idem Praeceptor Angelicus docet l. 8. q. 11. art. 1. Ergo missio invisibilis divinarum personarum non fit nisi per gratiam & caritatem.

Præterea: ut idem S. Doct. dicitur loco citato ex 20 sententia, missiones divinarum personarum ad hoc praecipue ordinantur, ut reducant creaturam rationalem in Deum, ut in finem ultimum, a quo per peccatum averitur & recedit: Sed regressus creaturae rationalis in Deum, ut in finem ultimum, non fit nisi per gratiam & caritatem, quae hominem Deo ut ultimo fini conjungit: Ergo missio invisibilis divinarum personarum fit solum ratione gratiae & caritatis.

§. II.

Solutio objectionum.

Obijcies primo: In incarnatione fit quaedam specialis 21 missio Verbi Divini ad humanitatem assumptam, & Spiritus sancti ad Beatam Virginem, juxta illud Lucæ 1. Spiritus sanctus superveniet in te: Sed duplex haec missio non fit secundum dona gratiae sanctificantis, aut saltem ab illis essentialiter non dependet; possit enim fieri incarnatio sine ullo dono gratiae collato naturae assumptae, ut si Deus assumeret naturam irrationalem, quae donorum gratiae incapax est, vel naturam rationalem omnibus donis

donis gratiae spoliata, aut si ex matre peccatrice nasceretur: Ergo divinarum personarum missio a gratia sanctificante & donis illius non dependet.

22 Confirmatur: In Eucharistia, facta consecratione, fit missio personae Filii, liquidem ibi existit de novo corpus Christi, ex vi conversionis, & persona Verbi per concomitantiam: Sed haec missio non est secundum infusionem gratiae sanctificantis in anima: tum quia ibi non est anima quae sanctificetur, sed solum substantia panis, quae convertitur in corpus Christi, & accidentia quae remanent; tum etiam, quia ut ait D. Thom. hic art. 6. ad 4. gratia non est in Sacramento ut in subiecto, sed ut in instrumento: Ergo idem quod prius.

23 Confirmatur amplius: Si quis justificaretur per visionem beatificam, sine habitu gratiae haberet missionem invisibilem Spiritus sancti factam ad se: quia speciali modo esset in anima per justificationem & beatitudinem: Ergo sine donis gratiae sanctificantis fieri potest invisibilis missio divinarum personarum.

24 Ad Objectionem respondeo primo, missionem Verbi Divini, quae fit in Incarnatione, non esse invisibilem, de qua solum hic agimus, sed visibilem, ratione naturae assumptae. Secundo dico, in Incarnatione communicari naturae assumptae gratiam unionis, quae perfectiori modo sanctificat, quam gratia habitualis, totaque ejus perfectionem & sanctitatem eminentissimo modo continet: unde etiam si natura rationalis a Verbo assumpta, omni dono accidentali careret, per ipsam tamen substantialem personam sanctitatem perfectissimo modo sanctificaretur. Si autem Verbum naturam irrationalem, & donorum gratiae incapax assumeret, non esset tunc vera & proprie missio, sed solum physica communicatio sui. Licet enim missio non consistat in morali egressione ab alio, per imperium, aut suasionem, requirit tamen ut is qui mittitur, modo intellectuali, & ut persona, exeat, & procedat ad illum cui mittitur: in illo autem casu Verbum Divinum modo intellectuali ad illam naturam non procederet, nec illi in ratione praesentia, sed solum in ratione suppositi, uniretur. Vel etiam dici potest quod illa assumptio naturae irrationalis esset missio: quia licet non sanctificaret illam naturam, eo quod sanctificatio incapax fit, esset tamen de se illa actio ordinabilis ad sanctificandam alios, quod sufficit ad rationem missionis, ut patet in apparitione Spiritus sancti in lingua ignis, quae fuit vera missio, quia ordinabatur ad sanctificandum Apolos.

Ad illud quod de B. Virgine subiungitur, dicendum est, Spiritum sanctum ad illam supervenisse, quando conceptus Dei Filius; quia tunc novum augmentum gratiae recepit: Missio autem Spiritus sancti non solum fit quando primo infunditur gratia, sed etiam quando novum ejus augmentum acquiritur, ut patet ex infra dicendis. Si autem de potentia absoluta esset divina materiam sine sanctitate, tunc non superveniret in eam materiam Spiritus sanctus, per modum missionis simpliciter, quia non habitaret in ea; sed esset solum missio secundum quid, quatenus Spiritus sanctus efficeret tale donum maternitatis simul cum aliis personis divinis. Sicut etiam fit quaedam missio impropria & secundum quid, cum fides informis, vel auxilia ad gratiam remote dispositiva infunduntur.

25 Ad primam confirmationem respondeatur, quod de Sacramento Eucharistiae possumus loqui, vel quoad summptionem, vel quoad consecrationem. Si loquamur de summptione, nulla est difficultas, quia in illa datur infusio, vel augmentum gratiae: si vero de existentia corporis Christi in Sacramento, quae fit per conversionem panis in ipsum, fiat sermo, duplex adhiberi potest solutio. Prima est, quod illa non est missio specialis personae Filii ad Sacramentum, sed est missio ipsius Christi ut hominis, seu corporis ejus, ut ibi existat. Secunda est, dato quod illa conversio & transubstantiatio fit missio personae, pertinet tamen ad missionem visibilem reductive, quatenus corpus Christi hic existit sub speciebus Sacramentalibus, quae visibiles & sensibiles sunt.

26 Ad secundam confirmationem dicendum est, quod ille qui justificaretur per visionem beatificam, sine habitu gratiae, haberet gratiam sanctificantem eminentior, aut aequivalenter; quia haberet consummationem gratiae, sufficientem ad remissionem peccatorum, & actus conaturaliter & de se gratiam in subiecto exigentes; ad invisibilem autem Spiritus sancti missionem, sufficit quod infundantur dona gratiae sanctificantis, vel formaliter, vel aequivalenter. Unde, ut supra dicebamus, est Verbum assumeret humanitatem, gratia habituali spoliata, fieret nihilominus ad illam specialis Spiritus sancti missio: quia uno hypostatico aequivaleret gratiae sanctificantis, & totam ejus sanctitatem & perfectionem eminentissimo modo contineret.

27 Obijcies secundo: Personae divinae habent specialem praesentiam in creatura rationali, independentem a gratia & caritate: Ergo missio invisibilis illarum fit non solum per gratiam & caritatem, sed etiam per alia dona ab illis separabilia. Consequentem patet ex supra dictis, Antecedens probatur. Spiritus sanctus fit speciali modo praesens ani-

mae; cum per auxilium gratiae illam movet ad actum attritionis supernaturalis, quam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsus, docet Sacrosancta Synodus Tridentina sess. 14. cap. 4. Item Summo Pontifici, vel Concilio generali, res fidei definitivas, datur specialis quaedam Spiritus sancti assentientia & praesentia, ne in huiusmodi definitionibus errare possint, ut docetur in Tractatu de fide; & tamen tunc non fit nova gratiae & caritatis infusio. Denique per fidem, & per dilectionem Dei naturalem, Deus fit praesens animae, ut cognatum in cognoscere, & amatum in amante: Sed hanc solum praesentiam habent personae divinae in anima per missionem invisibilem, ut docet D. Thomas hic art. 3. Ergo independentem a gratia & caritate personae divinae specialem praesentiam, & existentiam habent in nobis.

28 Respondeo quod licet personae divinae, independentem a gratia & caritate, specialem quendam praesentiam in creatura rationali habere possint, non tamen illam, quae ad veram & proprie dictam missionem requiritur. Nam vera & proprie dicta missio requirit praesentiam specialem, quae fit per modum mansionis & inhabitationis in anima, ut patet ex illo Joann. 14. Si quis diligit me, diligitur a Patre meo, & ad eum veniemus, & mansorem apud eum faciemus: haec autem praesentia & inhabitatio non fit nisi per gratiam sanctificantem: per auxilium enim quod Spiritus sanctus animam ad actum attritionis movet, non dum illam inhabitat, sed tantum ad oitium cordis pulsata, juxta illud Apocal. 3. Ecce sto ad ostium, & pulso; unde Tridentinum loco citato loquens de contritione illa imperfecta, quae attritio appellatur, dicit illam esse Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis. Idem dicendum est de speciali illa Spiritus sancti assentientia, quae datur Summo Pontifici, aut Concilio generali, ad res fidei definitivas: per illam etiam Spiritus S. non inhabitat animam, sed tantum intellectum movet, instruit, ac dirigit, ne in veritatis cognitione aberret: unde talis praesentia specialem missionem non requirit, sed pertinet ad generalem Dei praesentiam, quae Deus est in rebus per operationem.

Cum autem aliquis fidei informis & dilectionis naturalis actus elicit, habet quidem Deum praesentem in anima, ut cognatum in cognoscere, & amatum in amante, sed non cognitum & amore ex perfecta amicitia procedentibus; ut quibus solum in praesenti loquitur D. Thomas, dum docet per missionem invisibilem, Deum fieri praesentem animae, ut cognatum in cognoscere, & amatum in amante, ut infra patebit. Addo quod ad veram & proprie dictam missionem requiritur, quod Deus in anima tamquam in templo suo inhabitet, ut patet ex supra dictis: per fidem autem informem, aut dilectionem naturalem, Deus non habitat in anima tamquam in templo, ut docet Augustinus Epist. 57. ubi ait: Illi ad templum Dei non pertinent, qui cognoscunt Deum, non sicut Deum glorificant.

§. III.

Corollarium notatu dignum.

29 Ex dictis colliges, triplicem dari in homine invisibilem divinarum personarum missionem. Prima fit in Baptismo, vel in prima peccatoris justificatione: tunc enim persona divina incipit speciali modo praesentem esse in anima, per gratiam mundatam & sanctificatam, & in ea ut in templo suo habitat.

Secunda fit quando homo justificatus novam gratiae augmentum acquirit, seu cum de novo proficit in gratia; si- ve intensive, perfectiores actus caritatis eliciendo; si- ve extensive, dum ad novum aliquid munus aut statum excellentem assumitur, puta cum in Sacerdotem vel Episcopum consecratur, vel cum omnibus renunciat, & religiosus efficitur, ut docet D. Thom. hic art. 6. ad 2. tunc enim Deus in illo, tamquam in templo suo, modo aliquo specialissimo incipit habitare, ut eleganter declarat D. Bernardus Serm. 6. de Dedicatione, in quo fratres suos alloquens, sic ait: Domestica nobis celebratis, dedicatio domus nostra; magis autem domestica nostra ipsorum dedicatio: nostra si quidem illa aspersio, nostra illa benedictio, nostra consecratio fuit, quae per manus Sanctorum celebrata Pontificum, etiam hodie anniversario reditu vestris laudibus ad memoriam revocatur.

Tertia denique missio est illa quae fit in Beatis, tum in ipso beatitudinis principio, in quo Deus incipit esse novo modo in anima, per unionem essentiae suae, in ratione speciei intelligibilis: tum etiam post beatitudinem adeptam, per varia charismata & dona gratiae, seu novas revelationes quas accipit Beatus extra verbum, in quibus etiam communicatur Deus novo modo, secundum manifestationem aliquorum effectuum, quia ad ipsum statum beatitudinis ordinantur: ut etiam docet D. Thomas hic art. 6. in resp. ad 3. ubi ait: Ad Deum est facta missio invisibilis, in ipso principio beatitudinis. Postmodum autem ad eum fit missio invisibilis, non secundum intentionem gratiae, sed secundum quaedam aliqua mysteria eis revelantur de novo.



ARTICULUS III

Utrum in missione invisibili, Persona dicatur, ratione gratiae, sicut specialiter, etiam secundum substantiam suam, praesens in anima iusti?

§. I.

Quibusdam praemissis conclusio affirmativa statuitur.

Supponimus ut certum, quod cum mittuntur persona divinae, non solum dona creata gratiae, sed etiam ipsae personae divinae & increatae nobis dantur; ut expresse docent Magister sententiarum in 1. dist. 14. & D. Thom. ibidem; Ratioque illi fluit. Tam quia Scriptura dicit Spiritum sanctum esse in nobis ut in templo suo, quod de donis gratiae non potest verificari, utpote cum templum non consecretur donis creatis, sed ipsis personis divinis: Tam etiam quia eadem Scriptura expresse distinguit inter hoc quod est dari dona creata gratiae, & dari ipsam personam increatam Spiritus sancti, cum dicitur ad Rom. 5. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: frustra autem distingueret Scriptura inter caritatem diffusam, & Spiritum sanctum datum, si dari Spiritum sanctum, non esset aliud quam dari dona gratiae, seu caritatem diffusam: Ergo in missione invisibili, non solum dona creata gratiae, sed etiam ipse persona divinae & increatae nobis dantur. Unde Aug. serm. 185. de tempore: Spiritus sanctus in hac die fidelibus, non solum per gratiam resurrectionis & operationis, sed per ipsam personam maiestatis; neque in vasa non jam odor balsami, sed ipsa substantia sacri descendit unguenti. Et Bernardus serm. 3. de verbis Domini: Magna Dei misericordia, quia donum dat aequale sibi; nam donum eius Spiritus sanctus est. Ut ergo amoris Deum, habitet in se Deus. Eandem veritatem Seneca, licet Gentilis, agnovisse videtur, dum scripsit Ep. 74. Deus ad homines venit, immo quod propius est, in homines venit, nulla sine Deo mens bona est.

Certum est igitur, in missione invisibili non solum dari dona creata gratiae, sed etiam ipsas personas divinas, ac proinde illas fieri intime praesentes animae iusti. Sed difficultas est, & gravis controversia: an persona divinae, ratione gratiae, sicut specialiter, etiam secundum substantiam suam, praesens ipsi animae.

Ratio gradandi est, quia duo tantum apparent modi, quibus per gratiam sanctificantem persona divinae dici possunt praesentes animae, ad quam mittuntur: quorum tamen neuter sufficit ad talem eorum praesentiam, quae sit simul specialis & substantialis. Ille enim qui convenit ipsis, quatenus causant in homine iusto donum gratiae sanctificantis, licet substantialis sit, non est tamen specialis, sed communis omnibus Dei effectibus. Alter vero, quem dicunt eadem persona, in quantum consequenter ad collationem talis doni, cum omnibus ejus proprietatibus, cognoscantur, & amantur ab anima, munere illo praedita, specialis quidem existit, sed tamen secundum quod distinguitur ab alio priori, est solum denominatio extrinseca, quae ex vi sua non requirit substantialem Dei praesentiam intra animam iusti: licet enim Deus, ratione sui immensitatis, non existeret intra hominem, sed tantum in caelo; in creatura tamen, a qua intelligeretur & amaretur, esset ut cognitus in cognoscente, & amante. Nec urget quod gratiae, & caritas uniant animam amantem cum divinis personis cognitis & amatis; quia cum illa unio sit tantum affectiva, quatenus videlicet amans inclinatur & effectum habet ad personam amatam, non vero effectiva; ex ea colligi nequit alia praesentia divinarum personarum in homine iusto, praeter objectivam & effectivam, minime vero realem & substantialem. Ea propter Vasquez supra disp. 30. cap. 3. & hic in expositione art. 3. Alarcon disp. 9. cap. 9. Ruiz disp. 109. sect. 3. ab eodem Alarcon relatus, negant in unione invisibili personas mistas fieri secundum suam substantiam praesentes in anima iusti, praesentia aliqua speciali, sed tantum communi, quam Theologi vocant praesentiam immensitatis: adeo ut si per impossibile Deus non esset immensus, Filius & Spiritus sanctus non forent per gratiam realiter praesentes animae illi, ad quam dicuntur mitti.

Oppositum tamen docent omnes Thomista, Suarez, Cornelius a Lapide, & alii quos referunt Salmanticenses: nimirum personas divinas, quae dicuntur invisibiliter mitti ad hominem; specialiter quoad suam substantiam modo, ita ejus animae fieri praesentes ratione gratiae, ut si per impossibile non esset intra illam per essentiam, praesentiam, & potentiam, existerent tamen in ea secundum suam substantiam. Quod explicant exemplo missionis visibilis Verbi in carne. Si enim per impossibile Divinum Verbum non esset ratione sui immensitatis realiter praesens humanitati Christi, eo ipso tamen quod illi hypostatice uniretur, fieret illi intime & substantialiter praesens. Pro hac sententia

Dico: In missione invisibili divinarum personarum, Filius & Spiritus sanctus, ratione gratiae sanctificantis,

sunt specialiter, etiam secundum substantiam, praesentes in anima iusti.

Probatur primo: Personae Filii & Spiritus sancti debent in invisibili sui missione esse alio modo praesentes animae iusti, quam per immensitatem. Sed nisi specialiter, etiam secundum substantiam suam, sint intra illam, non erunt alio modo ipsi praesentes, quam per immensitatem: Ergo &c. Major est certa; alioquin enim, cum ubicumque producitur aliquis effectus, ibi Deus sit eo praesens per immensitatem, quotiescumque novi effectus productio heret in anima iusti, toties personae Filii & Spiritus sancti, indivisibiliter concurrentes ad eam, dicerentur eo ipso invisibiliter mitti ad animam; quod tamen Vasquez non audet concedere. Minor vero probatur. Personas divinas esse alicubi praesentes solum per immensitatem, est esse praesentes solum quatenus ibi operantur aliquem effectum; praesentia enim immensitatis in operatione fundatur, ut ostendimus in Tractatu de attributis disp. 4. art. 5. agendo de attributo immensitatis: Sed nisi specialiter, etiam secundum substantiam suam, sint praesentes animae ad quam mittuntur invisibiliter, erunt solum intra ipsam, quatenus producunt aliquem effectum, nempe gratiam sanctificantem, ut de se patet: Ergo non erunt alio modo ipsi praesentes, quam per immensitatem.

Probatur secundo: Personas divinas fieri praesentes animae, ut cognitus in cognoscente, & amatus in amante, cognitione & amore procedentibus ex perfectissima amicitia, est esse ibi praesentes specialiter, etiam secundum substantiam suam: At in missione invisibili persona divinae, ratione gratiae sanctificantis, sunt praesentes animae iusti, sicut cognitus in cognoscente, & amatus in amante, cognitione & amore procedentibus ex perfectissima amicitia: Ergo sunt ibi praesentes specialiter, etiam secundum suam substantiam. Minor quae est D. Thom. hic art. 3. est omnino certa: cum enim gratia & caritas faciant perfectissimam amicitiam inter Deum & hominem, subindeque sint principia cognitionis, & amoris procedentis ex illa amicitia, constat quod in missione invisibili, persona divinae ratione gratiae sanctificantis sunt praesentes animae iusti, ut cognitus in cognoscente, & amatus in amante, cognitione & amore procedentibus ex perfectissima amicitia. Major vero probatur, & explicatur. Cum proprium sit amoris amicitiae perfectissimae, exigere unionem inter amicos, non solum secundum affectum, sive per conformitatem affectivam, sed etiam quoad fieri potest, per inseparabilem praesentiam, & conjunctionem substantialem; si cognitio & amor, quibus divinae personae dicuntur esse praesentes in anima ad quam mittuntur, sicut cognitus in cognoscente, & amatus in amante, procedant, sicut de facto procedunt, ex perfectissima amicitia, non possunt non esse ibi eo ipso praesentes praesentia speciali simul & substantiali.

Confirmatur & magis illustratur haec ratio ex D. Thoma 1. 2. q. 28. art. 1. ad 2. ubi docet, quod amor amicitiae triplicem includit unionem: unam quam supponit, & quae est causa & fundamentum amoris, nempe unionem similitudinis: alteram quam formaliter facit, sive in qua formaliter consistit, amor enim (ut ait Augustinus) est junctura quaedam, duo aliqua copulans, & veluti vitula coccinea, ligans amantem cum amato: tertiam ad quam tendit, & quam desiderat; & haec est unio realis quam amans quaerit habere cum re amata. Unde ut refert Philosophus 2. Politic. Aristophanes dixit, quod amantes desiderarent ex amobus fieri unum, sed quia id non possunt praestare, ununtur inter se eo modo quo possunt, per conversationem scilicet, colloquia, & alia hujusmodi. Cum ergo amor Dei sit efficacissimus, & possit assequi quod intendit, ex vi gratiae & caritatis quam causat in anima, ei ununtur non solum objective & secundum affectum, sed etiam realiter & substantialiter: ita ut si per impossibile non esset illi praesens, ratione sui immensitatis, adhuc esset in ea specialissimo & realissimo modo, sicut specialiter & realiter est in Beatis per gloriam, & in Humanitate Christi per unionem hypostaticam.

Probatur tertio: In patria ratione caritatis persona divinae sunt praesentes animae iusti, praesentia simul speciali & substantiali: Ergo & in via. Consequentia est legitima: caritas enim via & caritas patria, sunt ejusdem speciei atome, quia utrobique tendunt in Deum, ut in summum bonum in se ipso. Antecedens vero est manifestum: cum enim in patria anima per caritatem perfectissime fruatur Deo; fruatur autem perfectissime Dei, non est nisi de Deo posse secundo eum substantialem modo, sicut finit de Deo, Deum in patria, ratione caritatis, fieri praesentem animae iusti, praesentia speciali simul & substantiali.

Confirmatur: Visio Beatifica exigit praesentia ratione sui praesentiam Dei, nedum objectivam, sed etiam entitativam & substantialem cum anima. Ergo & caritas, sive patria, sive via. Antecedens est certum: visio enim Beatifica exigit ratione speciei impressae, quae est ejus principium formale, & cujus vicem Deus immediate per suam substantiam supplet, unionem substantialem Dei cum intellectu Beati. Consequentia vero probatur; nam, ut ait

Divus

Divus Thomas ubi supra in resp. ad 3. amor est magis unitivus, quam cognitio: Ergo si visio Beatifica, quia est cognitio perfectissima Dei, requirit ex se substantialem Dei praesentiam cum intellectu Beati, a fortiori perfectissimus amor amicitiae, quo Deus hominem iustum diligit, exigit realem & substantialem ejus praesentiam in anima iusti.

Dices primo: Amor quo ex divina caritate diligitur proximus, non minus est perfecta amicitia, quam ille quo ex eadem caritate diligitur Deus; & tamen non requirit intimam, realem, & substantialem praesentiam proximi in voluntate, sive anima, ipsum diligentis: Ergo nec illam requirit amor amicitiae, quo Deus ex caritate, & gratia diligitur.

Sed negatur consequentia, & paritas: Ratio discriminis est, quia licet Deus & proximus eodem omnino habita caritatis diligantur, Deus tamen amatur tanquam objectum primarium, & proximus tanquam secundarium; amicitia autem perfectissima non exigit necessario conjunctionem substantialem & intimam, nisi cum objecto primario dilecto.

Dices secundo, Gratia sanctificans, & omnia ipsius dona, sunt speciales effectus Dei: Ergo persona divinae, non sunt aliter praesentes ratione donorum illorum in anima iusti, quam modo generali, quo Deus ut agens primum est praesens singulis rebus per suam immensitatem.

Sed nego etiam consequentiam, licet enim gratia sanctificans cum suis donis, confederata in ratione effectus iusti, non dicat illam praesentiam divinarum personarum in anima, quia illam quae Deo convenit, ratione immensitatis, & omnibus effectibus Dei communis est: quia tamen considerari potest insuper secundum quod tribuit animae qui inheret, quod cognoscat & diligit Deum, cognitione & amore ex perfectissima amicitia procedentibus; sit inde, ut praeter praesentiam Dei substantialem, in ratione prima & universalis causae, exigit insuper aliam quae est in ratione objecti, intime quoad suam entitatem praesentis potentiae.

Alia argumenta solum probant, cognitionem & amorem non pertingunt ad rationem amicitiae perfectissimae, non exigere specialem praesentiam rei cognitae & amatae in cognoscente & amante: cum quo fiat, quod cognitio & amor, quae sufficient ad amicitiam perfectissimam, qualis est cognitio & amor Dei, quae eliciuntur ab anima existente in gratia, necessario praesentiam illam exigant.

§. II.

Corollaria praecedentis doctrinae.

EX dictis colligitur primo, Praeter tres modos generales, quibus Deus existit in rebus per essentiam, praesentiam, & potentiam, dari tres alios speciales, quibus fit specialis modo praesens creaturae intellectuali, scilicet per gratiam, per gloriam, & per unionem hypostaticam. Tres primi ad attributum immensitatis pertinent: alii duo speciales ad invisibiles divinarum personarum missiones spectant: tertius ad missionem visibilem Verbi Divini, quae in incarnatione facta est. Per gratiam Deus est praesens animae, ut amicus & sponsus; & sicut cognitus in cognoscente, & amatus in amante, cognitione & amore ex perfecta amicitia procedentibus, ut antea explicatum est. Per gloriam mentibus Beatorum intime illabitur, illisque per modum speciei & formae intelligibilis, mirabili & ineffabili modo utitur, ut in Tractatu de visione Beatifica ostendimus. Per unionem vero hypostaticam Verbum Divinum terminat humanitatem, eique per modum substantiae & personalitatis conjungitur. Unde haec unio seu praesentia est omnium nobilissima & praestantissima. In iusti enim & Beati Deus praesens est per dona creata & accidentaliter gratiae & gloriae: in Christo per gratiam incretam & substantialem. In aliis est, ut ipsi non sint Deus per essentiam, sed tantum per participationem. In Christo denique ceteris per partes, Christo vero tota se infundit nedum gratiae, sed etiam Divinitatis plenitudo: unde Palamita dicit, quod Deus unxit illum per ceteris confortibus ejus. Et Augustinus Epist. 67. hoc inter Christum & alios Sanctos, quod inter caput & cetera membra, discrimen observat. Sicut enim licet anima insit realiter &

substantialiter singulis corporis partibus, in capite tamen, in quo vigent omnes sensus, modo specialissimo residet: ita quamvis in hominibus iustis & sanctis Deus sit per gratiam & caritatem substantialiter praesens, in Christo tamen, tanquam in capite, in quo sunt omnia charitativa gratiarum, specialissimo modo inhabitat, secundum illud Apostoli ad Coloss. 2. in ipso habitavit omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Unde Christi humanitas specialiter titulo templum Divinitatis appellatur, juxta illud Christi Joann. 2. solve templum hoc, & post triduum excitabo illud: quod Christus dicebat de templo corporis sui, ut ibidem subdit Evangelista.

Colligitur secundo, Modum quo Deus adest Summo Pontifici, aut Concillii generalibus, res fidei definitibus; non esse ita nobilem & perfectum, ac illum quo praesens est animae iusti. Primus enim est generalis, quo Deus adest ut Regens & Dominus; secundus specialis, quo praesens est tanquam amicus & sponsus. Per primum datur, perfectum dat seipsum. Primo praebet tantum lumen & sapientiam; altero infundit caritatem & gratiam. Illo denique Deus solum movet, instruit, & dirigit intellectum, ne in veritatis cognitione aberrat, isto vero animam mundat, ornat, sanctificat, & consecrat, ut in ea, non solum tanquam in templo suo, sed etiam ut in caelo, resideat, & inhabitet: sicut egregie expedit Augustinus in Psalm. 122. explicans verba illa Psalmistae: Ad se levavi oculos meos, qui habitat in caelis. Quid, inquit, est caelum Dei? Omnes Sanctae animae: nam & Apostoli, quomvis in terra essent carne, caelum erant, quia in illis Dominus sedens, per mundum ambulabat.

Colligitur tertio, Animam per peccatum mortale, non solum creata gratia dona, sed ipsas etiam personas divinas & increatas amittere. Nam (ut supra ostendimus) per missionem invisibilem non solum dona creata gratiae, sed ipsae etiam persona divinae & increatae dantur animae, ut in illa speciali modo inhabitent illisque tanquam bono fieri proprio ac peculiari, per actus cognitionis & amoris perfruantur: Ergo dum homo peccat mortaliter, non solum perdit dona creata gratiae & caritatis, sed ipsas etiam personas divinas & increatas. Licet enim post peccatum illae sint adhuc praesentes anima praesentia generali, quae ratione immensitatis Deo convenit, in illa tamen non resident amplius speciali illa, & mirabili, ac ineffabili praesentia, quam ratione gratiae & caritatis habebant: nec anima tunc habet vix illis perfructu, tanquam bono sibi proprio & peculiari. Unde amissio gratiae est maxima omnium jacturarum quae fieri possunt. In aliis enim solum dona Dei perduntur: in ista ipsemet donator amittitur; & tres SS. Trinitatis personae ab anima, in qua ut in templo specialiter habitabant, recedunt. Hinc egregie D. Bernardus in parvis sermonibus ait: Et Trinitas creatrix, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ex qua cecidit creatrix Trinitas, memoria, ratio, & voluntas. Et est Trinitas per quam cecidit, videlicet suggestio, delectatio, & consensus: est Trinitas in quam cecidit, scilicet impotentia, cecitas, & imunditia. Denique Trinitas per quam resurgit nimirum fides, spes, & caritas.

Adde quod, sicut per gratiam & caritatem fit in nobis mirabilis quaedam circuminsensio, seu mutua Dei in homine, & hominis in Deo existentia, ut antea disp. 12. art. unico in fine declaratum est: ita pariter per peccatum fit mutua quaedam separatio & elongatio hominis a Deo, & Dei ab homine, cum hoc tamen discrimine, quod circuminsensio gratiae & caritatis incipit a Deo, qui prius hominem diligit, quam ab homine diligitur; ut dicitur 1. Joann. 4. separatio vero mutua quae fit per peccatum, incipit ab homine, qui prius deserit Deum, quam ab illo deseratur, ut ex Augustino docet Tridentinum sess. 6. cap. 11.

Cetera quae docet D. Thomas in hac quaestione, facilia sunt, & ex sola textus lectione percipi possunt. Unde hanc disputationem, & totum hunc Tractatum, his egregiis Augustini verbis, ex lib. 1. de Trinitate cap. 3. desumpsit, placet concludere. Ubi quiritur unitas Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nec periculosus alicubi erratur, nec laboriosus aliquid quaeritur, nec fractuosus aliquid invenitur. Non pigebit me scribi haec, quaerere: nec pigebit scribi erro, discere. Quisquis ergo hoc audit, vel legit, ubi pariter tertius est, pergat mecum; ubi pariter haesitat, quaerat mecum; ubi errorem suum cognoverit, recedat ad me; ubi memum, revocet. Ita ingrediamur simul caritatis viam, tendentes ad eum, de quo scriptum est: quisquis faciem ejus semper.

T R A.